

IMPERATORUM.

85

Florea ferta, excepit ARCHÆOPHILUS, interpretes ea statuunt, quae vulgò Festoni dicuntur. In proposito autem Numismate non tale, sed omnino laureum visitur. Tale, respondit DULODORUS, quale & juxta Terminum in Nummo M. Pisonis M. F. Frugi prostat, qua basi vel florea ferta prolaurei. posita Poetae, vel certè non florea tantum, sed & Laurea Terminò sacra fuisse, rectè utique concluderem. Succeedunt

## NUMISMATA IMPERATORUM.

Antequam progrediamur, inquit ARCHÆOPHILUS, pauca de Methodo præmittenda sunt; Ea enim, quam in Continuatione secuti sumus, licet confusis & metallorum generibus, & Numismatum magnitudinibus, evitare tamen non potuit, ut seriei concinnandæ etiam Vulgaria adspargeret. Velim ergo, præfenti operâ, non seriem sequaris, sed metalla & magnitudines distinguas, id quod & Electoralis in Cimeliarchii dispositione satis accuratè Te fecisse video. Spicilegium agimus, respondit DULODORUS, ea tantum proponentes, quæ ab Editione Continuationis Serenissimus ELECTOR BRANDENBURGICUS coëmit: Imò nec hæc omnia, sed ea tantum, quæ etiam peritissimis placitura confido. Hæc basi facile intelliges, ARCHÆOPHILE, absque vel Publici offensa, vel Cimeliarchii Electoralis detrimento Methodum mutari non posse; Si enim rariora ex Continuatione repetam, quid egero, nisi actum? si omittam, annon opinionem sparsero, ex quocunque metallo, quacunque magnitudine, plura propositis in Cimeliarchio Electorali non contineri? quò, factò utique gloria ejus in immensum decreveret; Neque enim mihi objeceris, reliqua jam in Continuatione publicata esse; Non enim tam publicata sunt, quàm sub multitudine latent; Quis enim ibi agnoscat, quot AUREA maxima? quot magna, mediocria & parva? Quot iisdem magnitudinum distinctionibus ARGENTEÆ & ÆREÆ Cimeliarchium Elect. possideat, omnibus indistinctè inter se permittis? Hæc equidem, abundante nunc ubique rariorum segete, facta non vellem, sed cum facta sint necessariò, tot Numismatibus tunc nondum congestis, omninò nunc censeo eadem methodo perendum, ita tamen, ut libera potestas sit, omnem impostero Cimeliarchii Electoralis Thesaurum denuò percurrere, jucundaque repetitione, omisiss vulgaribus, Rariorum & metalla & magnitudines distinguere: Ita enim apparebit, quot & quam rara quocunque in genere præsto sint. Placuit Consilium ARCHÆOPHILO; Igitur, amplius, inquit, progressurum non morabor. Imò potius tritam nobis semitam, contemplationis novitate jucundiorum confido futuram. Id dabo operam, respondit DULODORUS. In limine se sistit

(L) 3 JULI-